

## **Cartulaire manceau de Marmoutier, Bouère, Nr. 4**

Nosse debebitis si qui eritis posteri nostri, Maioris scilicet huius habitatores monasterii sancti Martini, hoc convenisse inter nos et Fulconem de Boeria de burgo quem feceramus apud Boeriam in terra ab ipso nobis donata, ut monachus qui rebus nostris in eo loco prefuerit, non recipiat in eumdem nostrum burgum burgenses Fulconis ipsius ad habitandum preter illius voluntatem assensumque gratuitum, et ut nostri burgenses a burgensibus illius neque panem neque vinum aut carnem vel aliud quicquam, sed ex toto nihil accipient, ita sibi commendatum ut per eos vel penes ipos sic hoc vendant illi ut perdat inde Fulco consuetudinarias redhibitiones, quas accipere solet de rebus quas in burgo suo vendunt sui, et ut item preter predictos burgenses alios etiam quoslibet homines in ipsius Fulconis terra manentes ibique locum et focum habentes non recipiat monachus in burgum nostrum, ut ibi seu magnam seu parvam habeat domum. Si quis vero terram illius ex toto reliquerit et in nostro habitare burgo voluerit, recipiat illum monachus absque ulla lesione vel offensione amicitie Fulconis. Si quis etiam ex burgensibus nostris exercere voluerit aliquid terre Fulconis, non fiet propter hoc in ceteris consuetudinarius eius, sola scilicet redditia consuetudine terre illius. Porro autem quicumque extraneus de quocumque veniens loco habitare voluerit in eodem burgo nostro sive de villa sit ille, sive de civitate, sive de castello, sine ulla calumnia vel contradictione Fulconis recipiatur a monacho. Testes totius conventionis istius primo IIIIor filii Fulconis ipsius, id est, Simon, Rotbertus, Tetbaldus et Ivo, qui etiam tunc omnia nobis auctorizaverunt quecumque donaverat pater illorum. Testes reliqui Guidulfus et Martinus, filii Ausberti, Lambertus Borellus, Algerius de Sancto Dionysio, Fulcodius Bonellus, Rotbertus de Sancto Iohanne, Rainaldus Choines, Constantius presbyter.